



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avgvstini Barbosæ I. V. D. Lvsitani, Protonotarii, Et
Ivdicis Apostolici designati pro Tribunali Nunciaturæ
Hispaniæ, ac insignis Ecclesiæ Vimaransensis Thesaurarij
Maioris, Collectanea Doctorvm, Qui ...**

Barbosa, Agostinho

Venetiis, 1643

Bibliopola Lectori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14108



BIBLIOPOLA

LECTORI.



*V*M, amice Lector, hæc Doctorum Collectanea in sacrum Tridentinum Concilium, denuò typis mandare decreuisssem, condecens esse ratus, hoc meum consilium cum doctissimo illorum Auctore, **D. AVGVSTINO BARBOSA**, prius communicare volui, ut, si pro sua eximia eruditione, qua pollet, & solet sua ipsius opera, dum subinde magno omnium eruditorum applausu recuduntur, aliquibus semper additamentis exornare, aliquid haberet, quod huic suo eruditissimo operi posset adiungere, mihi pro singulari sua benevolentia, in tui maximè gratiam, impertiretur.

Ex quo factum, ut hic liber, tot pulcherrimis **ACCESSIONIBVS** auctus, nunc altero tanto, vel certè paullo minus creuerit.

Quin & **TEXTVM** Tridentini, qui hætenus desiderabatur, suis locis inserui, ut qui fortè scire cuperet, quomodo in illo habeatur, eo labore leuaretur.

Præter ea **CITATIONES** aliorum Auctorum diuerso charactere, quem Italicum dicunt, insigniui, ut quæ Auctoris propria essent, & quæ ipse ab alijs efferret, procliuus internoscerentur.

Hæc ferè sunt, quæ huic nostræ editioni accreuerunt.

Sed ut maior esset horum Collectaneorum utilitas, hanc ultimam editionem varijs **INDICIBVS**, prioribus longè utilioribus, & locupletioribus, simul adornauimus.

Quod reliquum est, valere te, & nobis laborique nostro fauere, etiam atque etiam optamus.